



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis**

**Lambert, François**

**Argentorati, 1525**

**VD16 B 3868**

Pars Septima. Septimo, prophetat in derisores uerbi, & diei Domini mala describit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**

Toties adhortatus est Israëllem ad querendum bonum & salutis consilia eidem præbuit, quæ impij & carnales abominabantur, & audire nolebant. Ideo subiunxit, re-  
ctum domini cōtra illos iudicium, dicens: Propterea hæc  
dicit Dominus &c. Sensus est. Tam grauis intus & ex-  
tra erit tribulatio, ut prouocentur ad luctum & planctū  
in omnibus uijs, hoc est, ubiq; agricolæ ob fruges absum-  
ptas, uinitores ob uini defectum, & alij singuli, ob da-  
mna quæ sentient. Et his qui arte plangunt, tribuetur a-  
bunde ansa, unde lugubria canant. Quia pertransibo in  
medio tui, omnia uastans & destruens. Sic transiuit Do-  
minus nocte per terram Aegypti, omnia primogenita  
percutiens, Exod. 12.

P A R S S E P T I M A.

Veh desiderantibus diem Domini. Ad quid  
eam uobis? Dies Domini ista, tenebræ &  
non lux.

T Empus quo Deus aliquid magnum facit, dies Do-  
mini appellatur. Ideo tempus, quo secundum quod  
à multis erat prophetatum, Regnum Israël destru-  
endum erat, diem Domini hoc loco uocat. Quem dum nō  
nulli è Prophetis prænunderent, impij subsannantes,  
dicebant. Quando ueniet hic dies Domini? Sic & impij  
è Iudeis, Hieremia de Hierosolymæ euerfione prophetan-  
ti, dicebant

ti, dicebant. **Hiere. 17.** Vbi est uerbum domini? Veniat.  
 De eiusmodi ergo incredulis, & ueritatis subsannato-  
 ribus ac derisoribus ait. Vbi desiderantibus diem Domi-  
 ni, hoc est, incredulis loquentibus more optatum. Veniat  
 dies illa. Ad quid eam uobis? Quod. Si sciretis decretum  
 Dei, & quam terrenda erit dies ista, nihil tale diceretis.  
 Nimirum in ea erunt malorum tenebrae, & non lux ali-  
 cuius consolationis.

Obserua, quod impossibile est, carnales non subsanna-  
 re, aut corde saltem non spernere, & odire, impolluta  
 eloquia Dei, quod absq; Dei spiritu nemo illis credere pos-  
 sit. ideo si absq; ipso spiritu, quispiam eadem se concupi-  
 scere & amare adserit, mendacium loquitur, & hypo-  
 crita est.

Quomodo si fugiat uir à facie leonis,  
 et obcurrat ei ursus, et ingrediatur domum,  
 & innitatur manu sua super parietem, &  
 mordeat eum coluber. Nunquid non tene-  
 brae dies Domini, & non lux, & caligo, &  
 non splendor in ea?

Quidam specialiter definiunt, quae per leonem, ur-  
 sum & reliqua hic posita, sint capienda. Sed quis satis  
 haec nouit? At certum est, spiritum sanctum ex his uoluisse  
 praesignare, terribilem fore praesatam diem. Tot namq;  
 malis plena fuit, ut dum ab uno se putarent liberari, in ali-  
 ud deciderent. Quemadmodum si quis leonem fugiens, in-  
 uaderetur, à crudeli urso, fugiens autem ursum à colubro  
 morderetur,

morderetur, sicq; uitans malum unum in aliud decedit. **Ex**  
 quibus probat, quod prädixerat, nempe quod dies **Domini**  
 tenebræ, & non lux &c. **Hec** de carnalibus ex **Israël**,  
 quæ uere de uniuersis incredulis et hypocritis capiuntur.  
 Nam quid omnis eorum conuersatio, nisi perpetuus ca=  
 sus, à malo in malum, atq; à scelere in scelus, etiam si id  
 per cæcitatem non sentiant? **Multa** enim sunt peccatorum  
 incredulorum, scil. flagella. **Psal. 31.** Soli quippe increduli  
 peccatores & iniusti dicuntur. **Cæterum** quod ad fideles  
 spectat, fide illis peccata remittuntur, & non imputan=  
 tur, unde iusti, sancti, beatiq; dicuntur. **Nunc Psal. 31.** **Bea**  
 ti quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt  
 peccata. **Beatus** uir cui non imputauit Dominus peccatū.  
**Ob id Paulus** de ipsis ait. **Roma. 8.** **Nulla** est condemna=  
 tio, his qui sunt in **Christo IESU.**

**P A R S O C T A V A.**

**Odi** & proieci festiuitates uestras, & non  
 capiam odorem cœtuū uestrorum. **Quod**  
 si obtuleritis mihi, holocaustomata & mu=  
 nera uestra, nō suscipiam, & uota pinguium  
 uestrorum, non respiciam. **Aufer** à me tur=  
 multum carminum tuorum, & cantica ly=  
 ræ tuæ non audiam.

**Hic** abiicit omnia, per quæ hypocritæ & increduli, in  
 erroris spiritu, se putant apud deum misericordiam con=  
 sequi